PANEGYRICUS ALEXANDRO SEPTIMO PONTIFICI MAXIMO OB...

Francisco : de Macedo, ÿtienne Picart

Digitized by Google

Panegyricus

ALEXANDRO SEPTIMO PONTIFICI MAXIMO

Ob depulſam Peſtem.

Authore Fr. Franciſco Macedo Minorita Obſeruante Luſitano, Magiſtro Philoſ. & Theologiæ Profeſſore: vtriuſque Maieſtatis Chriſtianiſſimæ Regis Ludouici XIV, & Annæ Matris tunc Regentis, Concionatore & Conſiliario, quondam Olyſſipone, Conimbricæ, Madriti, Regio Eloquentiæ Præceptore, nunc in Sacro de Propaganda Fide Collegio Controuerſiarum Lectore.



ROMAE,

Typis Vitalis Maſcardi, Anno MDCLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
DOMINO

MARIO CHISIO

S. R. E. GENERALI.

N*ON aliud clarius, aptiuſue huic ingenij mei fœtui, Panegyrico, in lucem proditurO natalitium Sydus optare potui, quàm quod ſecundùm à Sole fulget, & Solis germanum eſt natura, geminum virtutibus, quæ ſi minus Te parem ALEXANDRO, dignum certè Fratrem efficiunt. Quo nihil ego vtrique ſplendidius afferre poſſum: nam quid ALEXANDRO ad laudem excellentius, quàm ſupra Te Virum omni virtutum genere præſtantem extolli? quid Tibi ad famam glorioſius, quàm vni ALEXANDRO & olim meritis, & nunc dignitate in Vrbis & Orbis apice conſtituto concedere? Hac certè commendatione Patrocinium Tuum promereri poteram, niſi Tu operi lucem deberes: nam quo Aſtro iuuante Peſtilentia exacta, eo Panegyricus ob illam depulſam illuſtrari debet. Et quidem non potui Te,* Excellentiſſime MARI, *in Panegyricum cum ALEXANDRO Fratre includere, tùm quia vni tantùm dicebam, tùm quia duos tam breuis pagina excludebat. Sed quærenda tamen ratio fuit, qua Tua ad Te, & maxima laus rediret: vt nimirùm Tui iuris fieret opus, quod ALEXANDREAE gloriæ monumen-*

tum

tum erat. Cuius Tu, quòd particeps fueris, & partem in opere vendicabas. Vidimus Te, certè, tunc in Arce cum Pontifice ſpeculantem morbos, circumſpicientem remedia, prouidentem rationes. Audiuimus in Senatu, cum Patribus, conſilia dantem, monita ſuggerentem, Senatus-conſulta ſalutaria dictantem. Senſimus cum Miniſtris in foris, in plateis, in valetudinarijs, communi ſaluti operam dantem: circuire Urbem, notare domos, obſeruare ægrotos, inducere Medicos, adhibere remedia, erogare ſtipes, præbere ſubſidia, hortari, monere, iuuare: manu, ope, conſilio. Omne periculum pro ſalute Reipublicæ ſubire. Illud conſtat: quà Currum agebas Peſtem diſcedere, & feruentium rotarum ſtrepitu exanimari; & conſpectum Tuum magis, contagia, quàm cœteri illa vitabant, fugere. Multos Tibi Marios ineſſe vidimus, ſed Romæ viles. Ille ſeptennio ſepties Conſul, Tu quotidie centies ſalutaris. Et quoniam per ALEXANDRVM viuimus, ei vitam reddere volumus, quam debemus: itaque in calamum inſtillamus animum, & in ſcriptum mentem transfundimus, & in Famam immortalem vertimus. Hanc Tu MARI Excellentiſſime, *afflatus Tui imple, vt auguſto ſpiritu plena quadret in ALEXANDRVM, & quam à me Panegyricus dictante non poteſt, à Te accipiente, & donante dignitatem accipiat. Nec enim vel in ſcribendo, vel dedicando opere attendo, quid mihi conducat, ſed quid ALEXANDRVM deceat: qui ſciam ei non niſi honeſtum, decorumque probari. Ex Collegio Urbano de Propaganda Fide XII. Kal. Apriles.*

Vale Princeps Excellentiſſime, *ad Familiæ decus, Fratris ſolatium, Eccleſiæ præſidium, Reipublicæ ſalutem, Orbis ornamentum.*

Excellentiæ Tuæ

Obſequentiſſimus, & ſtudioſiſſimus, & maximus
ſeruus, obſeruator admirator

Fr. FRANCISCVS MACEDO.

Digitized by Google

ALEXANDRO VII.
PONTIFICI MAXIMO.
Ob depulſam Peſtem.
PANEGYRICVS.

QVAE multæ iuſtæ, graueſque cauſæ in arcano illo Diuinæ Mentis de Te, Alexander Optime, Maxime, Pontifice creando conſilio incluſæ inerant, & maximarum rerum euentis fætæ videbantur, illæ ex quo es Pontificatum adeptus, euoluta labentis temporis ſerie, explicari, patereque oculis noſtris cæperunt. Et quidem tot, & tanta ſunt effecta repræſentata, vt nemo qui ex ijs cauſas æſtimet, non credat illas in abditis Diuinæ Prouidentiæ rationibus contineri, ab ijſque depromi. Bienninm hoc Tuum breui periodo multarum ætatum res exhibuit, quæ vix capi ijs anguſtijs poſſe videntur: cùm, ſi euoluantur, & extendantur, ſecula magnitudine ſua implere queant. Sit hoc item amplitudini Tuæ dandum, quòd momen-

ta temporis tui tam ſint capacia, vt integris ætatibus reſpondeant. Gemerent ſub pondere ſecula, ſi quæ dies Tui tulerunt euenta, ijs incubuiſſent. Initium Pontificatus Tui publicæ Pacis, & communis concordiæ fundamenta iecit: Pietatis, ac Prudentiæ Tuæ per vniuerſam Europam plenæ litteræ volitarunt, datæ ad Potentiſſimos Chriſtianæ Reip. Principes, quos hortabare, vt depoſitis, vel remiſſis in aliud tempus animorum offenſionibus, & armorum contentionibus, vnanimes aduerſus hoſtes conſpirarent, & rem Catholicam tuerentur, ac promouerent. Totum ſtudio, & cura complexus Orbem, animi Tui amplitudinem declaraſti: & Alexandrum, Te, quem anguſtiores termini haud caperent, prçſtitiſti. Eo Tu illo Magno Maior, quòd quæ armis ille, & copijs eſt aggreſſus, Tu Religione, & Authoritate Pacificus tentaſti. Paulùm proceſſeras tempore, cùm Tui fama nominis, & opinione virtutis excita Regina Suecorum, VVandalorumque Chriſtina, haud dubiè Heroina, pulcherrimum illud facinus omnium ſeculorum memoria dignum, contempto florentiſſimo, & maximo Regno patrauit: ſecumque ad Te Romam opima de Authore pernicioſiſſimæ Hçreſeos ſpolia duxit: & redimitum tot lauris, & ornatum tot gemmis caput pedibus Tuis ſubiecit; Cui, quid, quçſo, rei ſimile, aut anteactæ ætates viderunt, aut videbunt anni conſequentes? Certè tanta fuit, vt nec opinione prçcipi, nec voto prçueniri, nec ſpe vllo modo prçſumi potuerit. De qua ego, quòd iuſtum Panegyricum compoſui, abſtinebo nunc dicere. Vix dum tempus huius Triumphi exierat, cùm partus eſt alius de Ottomano ſuperbiſſimo hoſte, ad fauces Helleſponti, armis Venetis, auſpicijs Tuis. Nec ille ſola victoria clarus, ſed vti-

lis

Digitized by Google

lis quoque fructu victoriæ. Peperit (& hoc Tuæ felicitatis eſt) laurus illa imperium. Occupatis Inſulis nobiliſſimis, ſubacto freto, intercepto commercio, ditione amplificata. Nec id à me tacitum, qui Trophęum ei Victoriæ Epicum erexi, relictum. Tantùm dico: alios ex bellis bella ſerere: Te palmas ex palmis, triumphos ex triumphis; alios armatos triumphare: Te & armatum cum Venetis de Turca, & Togatum cum Chriſtina de Hęreſi triumphaſſe. Decebat nempe Pontificem, incruentum genus triumphi excogitare, à quo incruentum candidæ Hoſtiæ ſacrificium iugiter perpetratur. Quanta hęc ſint, quàmque rara, plena minorum, vacua ſimilium, expertia parium, hiſtoriarum monumenta teſtantur. Verum hęc, & alia, quibus abundauit tempus hoc Tuum, quæ maxima extra illud eſſent, & intra Tuum modica ob amplitudinem gerentis videntur, non eſt meum in hunc Panegyricum includere. Nouum quiddam in Nouo Alexandro molior, & quod nemo (quod ſciam) Orator argumentum tractauit, in eo ſtylum exercere ſtatuo. Obdepulſam à Te Peſtem Panegyricum, Tibi, Alexander, dico. Nec verò inde mihi periculum eſt, quòd aut in re ſterili, aut inſolenti, aut horrida, & atroci verſari debeam; nam & ea amplificari, & emolliri, ornari, & expoliri oratione poteſt: illud vereor, ne dignum hoc argumentum Alexandro ſit: deceatq; tam ſordida, tenuiſque materies Tuam & amplitudinem, & maieſtatem. Verùm facilè hoc me timore liberabo, cùm oſtendero & magnitudinem mali, & perfectionem officij, & ſpecimen virtutis, & pręſentiam remedij: conſtabitque nunquam Te iuſtiùs, honeſtiùs, aut vtiliùs operam, ſtudiumque Tuum, quàm in Peſte comprimenda, ſedandaque ponere

po-

potuiſſe. Cùm prçſertim quicquid Tu ſuſceperis, geſſeris, prçſtiteris, dignum Te exiſtimandum ſit: nam quod à Te ſuſceptum, geſtum, & præſtitum eſt, à Tua dignitate alienum eſſe non poteſt, qui vbique Alexander es.

Ac primùm, quoniam ad remouendam, ex indecoro, humilique argumento petitam calumniam, & ſeruandam dignitatis Tuæ rationem plurimùm refert ſcire, quo cum hoſte rem geſſeris, id à me diligenter, vt appareat, prçſtandum: ſi enim ille eiuſmodi ſit, vt Te deceat, nulla erit anſa calumniæ, nullum periculum dignitatis. Hoc autem nullo meliùs conſtare modo poterit; quàm ſi quid ſit Peſtis, & cuiuſmodi Romæ eſſe cçperit, exponam.

Nullum horribilius, nullum atrocius, nullum truculentius moſtrum, quàm Peſtis, non modo eſſe, ſed ne excogitari quidem poteſt. Adeò omnem opinionem, & fictionem mali ſuperat, vt quicquid vel verum timeri, vel vltra verum exaggerari, aut à nimis timido, aut à nimium audaci queat, id omne infra Peſtem ſit. Ipſi illi fabularum authores Poëtç, cùm Tartarea monſtra, & vltra monſtra Eumenides ad terrorem fingere quàm maximè horrendas voluerunt, Peſtem vocarunt. Quam ſi inter alia mala in veſtibulo inferorum minimè collocarunt, eò fecerunt, quòd leuiora hæc ſontium ſupplicijs ducebant; Peſtem verò grauiorem, & atrociorem eſſe exiſtimabant: atque adeò poſt omnes pænarum formas in imo inferorum fundo conſtituendam. Quin imò, ne apud inferos quidem locum dederunt; quos quia eſſe, conſtareque volebant, vt ibi Manes ſcelerati torquerentur, amouendam inde Peſtem cenſuerunt, ne ſi eò ingrueret, & Manes ipſos extingueret, & totum illam iudiciorum, ſuppliciorumq;

ra-

Digitized by Google

rationem tolleret, & tartarum ipſum euerteret.

Nec ego ſatis Peſtis naturam (ſi qua eſt ea Diſſipatrici naturæ) expreſſi, cùm eam Monſtrum appellaui. Sunt enim Monſtra præter naturam, eiuſque deerrantis à communi ordine, rerum fœtus. At hoc prorſus contrarium eſt naturæ: non natum, ſed factum à culpa ad perniciem generis humani, non caſu fortunaque aberrans, ſed dedita opera ruens ad exitium naturæ. Quibus hæc vinculis maximè continetur, ea perfringere Peſtis conatur. Humanum genus & priuato, & communi vinculo colligatur. Priuatum eſt in vnoquoque noſtrum, & ad naturæ vim conſtitutionemque pertinet: hac continemur, hac viuimus: hac mouemur, hac homines ſumus. Commune eſt in publica, ciuilique ſocietate, quę iure tùm naturali, tùm ciuili perficitur: quo nos inuicem excipimus, fouemus: inter nos loquimur, agimus, conſueſcimus, ſimul habitamus, & ciuile quoddam corpus partim domeſticum, partim politicum efficimus. Primum à natura accipimus, innatumque ſeruamus. Secundum ratione formamus, & iure conſtituimus: etſi natura quoque Duce vtamur, quæ nos ſolitarios & vagos eſſe noluit, atque alios ab alijs ſeiunctos: ſed in vnam ſocietatem Rempublicamque coniecit, ad idq; & linguam & vocem dedit, cuius facultas & vſus ad conſortium communionemque requiritur. Nec ratio ipſa quę ſingulis nobis ineſt, intra nos muta & otioſa eſſe debuit, ſed prodere, explicareque ſeſe, & communi vtilitati Reip., commodoque ſeruire. Itaque priuatus quiſque ad politicum iſtud hominum corpus tanquam ad finem ſcopumque dirigitur, in quo ratio plurimùm iuſque dominatur. Eo autem conueniunt ambę iſtæ colligationes, quòd & partibus,

& membris inter ſe nexis vinctiſque copulantur, & vnum quiddam efficiunt. Eo differunt, quòd naturale corpus coaleſcit magis, ac ſibi cohæret, non diuiſum, non fluxum, non diſperſum; vno quippe vinculo, ac intimo continetur. Ciuile verò ac Politicum, cùm conffetur ex pluribus, compoſitum quoddam eſt ſociali tantùm vinculo nexum, & iure coniunctum, & ordine colligatum. Præſtat item alterum alteri; quòd Naturale, eſt corpus animatum & viuum: Ciuile, ſimilitudinem quandam habet vitæ, à ratione legibuſque profectam. Eſt tamen hoc illo incorruptius, & ſtabilius: nam facilè naturale illud animo conſtans & corpore, morte diſſoluitur: hoc ſimile ſtat & permanet, nec tempore conſumitur, nec fato perit: Aeternitatem intuetur. Vtrumque autem Peſtis oppugnat, inimica naturę, hoſtis Reipub. Vtrique perniciem machinatur, & affert; nec priuatos ſolùm homines extinguit, conuentus quoque, & ſocietates hominum euertit. Caduca impellit, vt ruant; conſtantia ſubruit, vt cadant. Odit naturam; ius abhorret: conculcat leges: peruertit ordinem: reſcindit amicitias: ſoluit concordiam: diſrumpit ſocietatem: mores, inſtituta, Religiones, Sacra exſcindit. Nihil integrum ingruente Peſte in domibus, in foris, in curijs, in templis, in Ciuitatibus manet. Furit domi & foris: graſſatur terra marique, noctu diuque. Semper inquies, vaga, mortem circumferens, anhela ſemper & ſitiens, ſaginatur ſanguine, nunquam ſatiatur. Nec humanum tantùm bibit, brutorum etiam potat; nec indignatur, modò ſæuiat, tam vili & ſordido ſanguine inquinari. Eo truculentia huiuſce monſtri apparet, quòd cœtera quæ magnopere timere homines ſolent mala, ſi cum eo comparentur, multò ſint molliora.

Tria

Digitized by Google

Tria fermè ſunt maximè horribilia. Bellum: Fames: Mors. Et quidem iure: ſed nulla ratione cum Peſte comparanda. Bellum imprimis, & arbitrio ſuſcipitur, & deponitur: tolli voluntate poteſt, ne ſit vllum: & cùm eſt, ita geri, ne noceat. Peſtis nobis fit inuitis; nec in noſtra eſt poteſtate illam, aut auertere, aut comprimere, aut præcidere. Sui iuris eſt. Exiſtit inopinatò: furit liberè, graſſatur impudenter: nec ratione noſtra, nec arbitrio definitur. Iam verò dato quòd Bellum ſit; quid eſt in eo quod cum Peſtis ſæuitia conferatur? Inferuntur vulnera, fiunt cædes. Vires viribus opponuntur. Aequa poteſtas eſt feriendi, æqua occidendi. Vt vincat ille qui plùs poteſt: certè alteri qui vincitur, locus reſiſtendi ſeque tuendi datur. Sæpe cui cadendum eſt, is non inultus cadit. Imbecillitatem accuſare ſuam victus poteſt: belli rationem culpare non poteſt. Secus in Peſte res habet. Ingruit vi, ſæuit impotenter, occidit impunè: nemo ei reſiſtit, nemo repugnat. Quem vult apprehendit; quem vult interficit: locum adimit & tuendi ſe, & eripiendi. Quot in ipſo bello & ardore belli victoribus ſupplicant, & mortem euadunt? Quot capiuntur & ſeruantur? Vt ſæuus ſit hoſtis parcere poteſt victis, & ferrum inhibere. Ira ſæpe miſericordia flectitur, ferocia pietate mollitur. Ecquis tamen vnquam parcere cuiquam, vel ſupplici & abiecto Peſtem vidit? Ecquis commiſeratione tangi? vel ratione aliqua commoueri? In miſeros ſæpe immanitatem ſuam exercet: & quorum magis miſerendum erat, in eos ferociùs crudeliùſque graſſatur: & quò plures occidit eò ampliùs ſæuit; poſt cædes non reſpirat: ſed alias anhelat: clades accumulat cladibus, exſugit ſanguinem monſtroſa hirudo, & augeſcit, non

ta-

Digitized by Google

tamen mittit cutem, nec remittit ſitim, inhiat vlterius, inuadit medullas, hæret in venis, & in viſcera ſe inſinuat. Quid? quòd Bellum cum hoſte tantùm ſuſcipitur, ac geritur: Amicos illud nec attingit, nec lædit. Peſtis verò promiſcuè in omnes debacchatur, quòd neminem amicum habeat, & omnes ſibi inimicos proponat: imò vbi Amici ſunt, ibi maximè ſæuiat, quòd oderit ſocietatem. Tandem bona populi pars immunis fermè eſt à bello, nam qnod geritur, eo nec fœminæ, nec pueri, nec ſenes implicantur: quod infertur, in eo plerumque, & ſexuum, & ætatum ratio habetur, ne ſine diſcrimine ſæuiatur. Verùm à Peſtis periculo non ſexus fœminas, non innocentia pueros, non reuerentia ſenes eximit. Sublato omni diſcrimine, nullo delectu furit: miſcet ſexus, confundit ætates, peruertit dignitates. Vno valet odio. Vna præſtat polletque feritate.

Timeri magis ſolet quàm Bellum Fames: quòd nec eſt vltrò ſuſcepta, nec tam in noſtra eſt poteſtate; & quòd ad plures pertinet, ac præcipuè in vulgus emanat, qui & numeroſior eſt, & ob paupertatem huic malo obnoxius: verum multò eſt minus quàm Peſtis horribilis. Duobus autem modis poteſt Fames accidere. Altero cùm eſt illata ab hoſte vaſtitatem afferente: altero cùm ex importuna cœli tempeſtate, & ſterilitate terræ exiſtit. Quæ ab hoſte per vim infertur, eiuſdem cum bello conditionis eſſe ſolet, atque adeò vel auerti occupando pace animos, vel repelli armis in hoſtem conuerſis, vel ſedari deditione Ciuium & Ciuitatis poteſt; iiſdemque argumentis, quibus in bello vſi ſumus, Peſti poſtponenda erit. De illa quæ à maligno Siderum aſpectu, & afflatu, & defectu prouentuum con-

tin-

Digitized by Google

contingit, ac inopia, & caritas Annonæ dicitur, ambigere quis poteſt: cùm nec emendare Sydera; nec corrigere elementa liceat, ac omninò pati neceſſe ſit, quod à Cœlo eſt: quod enim non efficitur, id nec prohiberi poteſt à nobis. Et quidem inficiandum non eſt, magnum id eſſe genus mali, eoque maximè atteri, affligiq; Rempublicam. Sed vt omittam diuites & copioſos, qui aut conditas fruges in horreis habent, aut eas pretio comparare poſſunt: parabiles ſanè multis modis ſunt copiæ ad leuandam famem. Cùm ex vicinis regionibus quæ abundant, terra, ex longinquis, mari peti, & aduehi Annona ſumptibus vel priuatis, vel publicis queat. Quin hoſtes ipſi ſæpe ſe offerunt, & veniunt non vocati, ſpe lucri; & fruges ingerunt, vt numos referant. Quare vt cara & aſpera ſit Annona, diuturna certè, modò ſit prouidentia, eſſe non poteſt. Imò ſola fama ſæpe remedio eſſe ſolet: cùm vbi de inopia conſtat: cupiditas ſtimulet alienos ad afferendum remedium. Itaque non ſola virtus Prouidentiæ, ſed etiam vitium Auaritiæ, medicina eſt. Certè non admodum formidari debet malum, cui vitijs noſtris quodammodo medemur; nam, cùm ſemper inſint mala, quibus mederi volumus, medicina non carebunt. Secus in Peſte res habet. Simul ac ingruit, & copioſos & inopes inuadit: abundantia non minuitur, inopia creſcit: ſpem omnem domeſtici & externi remedij præcidit: tollit commercium: qui ſunt in vicinia, recedunt, qui remotiùs habitant, longiùs fugiunt: nec aditus, nec exitus tutus eſt. Satius eſt interdum indigere, quàm abundare: cùm qui indiget, ſuo contentus viuat; qui abundat, cùm ex eo quòd abundat vtilitates capere velit, dum egenis rerum ſuarum copiam facit, ex illorum conſor-

ſortio malum contrahit, ac extinguitur. Quid quòd Fames ſingulos conficit, nec ad alios ſerpendo peruadit, ſingulis contenta mortibus, nec enim vnius fames alterum corripit. At Peſtis in omnes intenta latè emanat & funditur, & ab vno in alterum tranſit, nec contenta ſingulis, per vniuerſitatem vagatur: quo fit, vt multò ſit, quàm Fames pernicioſior.

Supereſt tertium malum Mors. Cuius vel nomine audito horremus. Ea certè vna eſt, quæ cum Peſte poteſt conferri: neceſſarium quippe malum, & generale, naturæ aduerſum, atrox, ſæuum, nemini parcens, nullo ſexus, conditionis, ætatis ſeruato diſcrimine ſęuiens, omnibus interitum afferens; imò maius Peſte videtur, quòd hæc non ſemper infectos extinguat, nec ad interitum procedat; quin etſi rem ſubtiliùs ac philoſophico more pendamus, quod eſt in Peſte ſummum mali, quod ſanè interitus eſt, id à morte ſumitur; nam id maximè horrendum, quòd interimus: quod ſi abſit, reliquum tolerabile malum videtur. Itaque Peſtis intra vitam manet, & citra mortem; ibique deſinit, vbi mors incipit, nec enim interitus niſi ad mortem, quę extinguit, pertinere poteſt: niſi ſi vtramque velimus ineptè confundere. Agè verò monſtremus, vt cùm tantum tamque horribile, quod inficiari non poſſumus, mors ſit malum, multò maius ſit tamen Peſtilentia, multòque horribiliùs, idque non ſpecioſis ſolùm, & ad pompam orationis, ſed ſolidis, ac ex interioribus Philoſophiæ arcanis petitis argumentis probemus. Primùm id remoueo: mortis genus eſſe quoddam, violentum, & atrox, in quo multæ ſunt crudelitatis inuſitatæ, terribileſque formæ, quod maximè horrendam ſolet mortem efficere, ac Peſtilentiæ penè parem: nam iſtud immanitatis malum non eſt

à mor-

Digitized by Google

à morte, quæ ſimplex quidam, & naturalis interitus eſt, ſed ab humana crudelitate excogitatum, cui aſſignari debet. De morte nobis agendum, vti naturæ noſtræ accidit, qua adueniente naturaliter (non excludo originis culpam, naturæ item hęc dicitur) & deficimus, & extinguimur. Atque hoc ſenſu accepta mors haud paulò Peſtilentia mitior eſt, & mollior. Non ego hìc vulgari more de extenuando mortis malo, minuſque timendo, imò & æquanimiter tolerando, & interdum alacriter ſubeundo dixerim. Pleni ſunt his rationibus Oratorum & Philoſophorum libri. Id aptè mihi inde vendico: de contemnenda morte multos ſcripſiſſe, neminem de contemnenda Peſte ſcribere auſum fuiſſe. Quod eſt egregium de cauſa noſtra præiudicium; cùm præſtantiſſima illa ingenia, & iudicia, rationes contemnendę mortis inuenerint, atque ob eas contemni eam debere iudicauerint, nullam tamen afferri poſſe viderint, vt Peſtis contemni aut poſſet, aut deberet. Quo apparet, quantum ſit malum Peſtis, quàmq; non modò naturæ, ſed rationi etiam honeſtatique aduerſum. Sanè mors, quod proximè in Famem coniecimus, præterquàm quòd ſit naturalis, ſingulos perimit, ſocietates non extinguit, nec commune ſibi exitium proponit: ſæpe interdum iuuat ad conſeruationem viuorum, qui ex morte Parentum, propinquorumq; vitæ ſubſidia, & adiumenta capiunt; præterea ita fert natura, vt alij ſuccedant alijs; & ſuum cuique ad vitæ curſum ſpatium deſtinetur, & tempus. At Peſtilentia, quod ſępe diximus, publicum malum eſt, & communem perniciem machinatur: totius naturæ, & vniuerſitatis hoſtis, & generis humani diſſipatrix. Rationi etiam, & honeſtati contraria. Quid enim tam alienum à ratio-

ne

ne, quàm id quod maximè conſtans & æternum eſſe debet, id eſt vniuerſitatem rerum, velle excindere, & labefactare? videmus ita eſſe à natura comparatum, vt partes vniuerſo ita ſeruiant, vt eius conſeruationem, vel proprio interitu procurent. Tanta eſt vis communis iſtius vinculi, quo hominum ſocietas, & rerum colligatio continetur. Huic Peſtis inſidiatur, huic aduerſatur, hoc omninò diſſoluere conatur cum vulnere naturæ, & iniuria rationis. Nec Honeſtas à Peſtilentia tuta eſt; nam cùm ea magna ex parte iuris adminiculo, legumque gubernaculo, & recta adminiſtratione conſeruetur, Peſtilentia verò conuentus omnes & ſocietates diſſoluat, & Rempublicam turbet, iuris quoque ac legum obſeruantiam aufert. Vbi maior coniunctio & neceſſitudo eſt, ibi Peſtis viget: neceſſe eſt, vt ne ſit Amor, vt Amici viuant: non poteſt Charitas cum Peſte conſiſtere. Hoc certè mors non agit: vinculum Animæ & corporis ſoluit; ſed viuorum erga morientes, nec amorem, nec officium tollit. Innoxia mors eſt aſtantibus, flentibus, claudentibus oculos, corpus componentibus, funus curantibus. Hæc in Peſte non permittuntur. Tam eſt impia, vt pietatem non ferat. Nocet viuis: & intra mortem manens, vltra mortem ſæuit. Nam quòd Peſtis mors ipſa non ſit, & cum vita conſiſtat, auget potiùs, quàm minuit mali rationem: cùm ipſa vita peſtilens occidat viuos, & viuens ſit multarum complexio mortium. Iam verò culpæ ſimilis eſt, ac illi quidem culpæ capitali, quę naturam noſtram ab origine ducta infecit contagio, & corrupit. Huius inſtar, Peſtis, contagione valet, & totum genus hominum peruagatur: imò & audacius licentiuſq; ſe gerit, cùm in brutas quoque animantes inuadat.

Ita-

Digitized by Google

Itaque in morte pœna eſt, in Peſte contagium. Quare dolenda quidem mors eſt: Peſtis culpanda, & execranda. Qui morte extinguitur, animam efflat ſuam: alienis non nocet: ſolus moritur. At Peſte correptus animam non ſolùm amittit ſuam, ſed alienis item officit, in quas mortem traducit. Mors igitur ſolitaria eſt, qua quiſque interit, non interficit. At peſtis eſt Mortium colligatio, quæ & plures corripit, & non ſolùm interit, ſed & interficit, quòd communem vitam hominum, id eſt, ipſam vitalem auram inficit, & mortiferam reddit: adeo vt quæ maximè vitalis eſt, qua reſpiramus, qua viuimus, ea Peſte infecta lethalis ſit, & mortis vehiculum, & necis inſtrumentum. At poſt mortem cadauera horribilia videntur? quid? quòd ſunt innocua. Cùm autem nocere incipiunt, fœtida ſunt, corrupta ſunt, peſtilentia ſunt: idque non habent à morte, ſed à contagio; quin & cadauera tolerantur, niſi in Peſtem degenerent. Antequam corrumpantur, quamdiu ſunt intra mortis limites, tanguntur, tractantur, pollinciuntur, curantur. Poſtquam corrumpuntur, & in poſſeſſionem Peſtis veniunt, horrentur, & fugiuntur. Illud autem quanti terroris eſt, quòd viua corpora deteriora cadaueribus fiunt, cùm interitum afferant? Vnde fit, vt illa vita peſtilens omni ſit morte execrabilior. Nulla igitur ratione poteſt Mortis malum cum Peſte conferri. Hæc nimirum, non vnum, non ſimplex, ſed multiplex, & concretum ex omnibus malis eſt; nec ex ijs ſolùm quę ſunt, ſed ex reliquis, quæ & eſſe, & excogitari poſſunt. Quid? quod non eſt ſolùm horribile, ſed inſolens, & ſuperbum. Appetit ipſa Sidera, & malignos afflatus excit, & Cœli delicias corrumpit, alitur aura populari, & amat frequen-

E tiam,

tiam, & celebritates, in quas poſtea ſæuit, & debacchatur. Nec tantùm quæ corpore conſtant, aggreditur, ea etiam quę corpore carent, ac ſpiritu continentur, animoq; percipiuntur, adoritur. Ipſas virtutes tùm priuatas, tùm communes inuadit, earum pulchritudinem deformat, harmoniam diſſoluit, vim euertit. Nulli earum parcit hoc monſtrum, quippè quod tranſit in vitium, ſed deformitate monſtri retenta. Horrent ipſi Parentes liberos, liberi Parentes: Coniuges à Coniugibus ſeparantur: Amor in horrorem vertitur. Diſcordia Prudentiæ partes vendicat, & odium officij. At id fit ob Patrię charitatem; quæ priuatæ eſt Amicitiæ anteponenda. Sanè id eſt à virtute humana & liberali; non à Peſte crudeli, quæ ad interitum tendit Reipublicę. Quid? quòd id maximè miſerum eſt, non poſſe niſi per ruinam Amicitiæ ad charitatem Patriæ gradum facere: nec niſi membris præciſis corpus conſeruare: cùm præſertim, certa ſit Amoris iactura, ſalus Patriæ incerta. Quem autem iuuet membrum ſanum abijcere, ad incertum euentum, caſumque ſalutis? nec ſolùm Amor extinguitur, ſed Amabilitas etiam ipſa euertitur. Fac Peſte corripi pulcherrimam virginem, bellum puerum, elegantem adoleſcentem, egregium iuuenem, fortem virum, eruditum ſenem: nihil in ijs erit amabile; vt non ſolùm Amor tollatur, ſed & Amoris ratio auferatur. Non allicit animos pulchritudo, non trahit pręſtantia, non mouet fortitudo; non delectat eruditio: & perſonæ inficiuntur, & dotes corrumpuntur. Quin ipſa animi ornamenta iacent, horroremq; incutiunt: & quò quiſque præſtantior eſt indole, aut ingenio, eò magis horretur; quòd in eo extinguendo, quanta ſit vis mali, deprehenditur: homineſque ſuſpi-

can-

Digitized by Google

cantur, quæ viris excellentibus non parcit, eam vulgaribus minimè eſſe parſuram. Intoleranda in hoc monſtro ſunt omnia; illud omninò intolerabile: quòd opinione & ſuſpicione iuxtà, ac re noceat. In cœteris malis metus, & opinio, & ſuſpicio iuuant ad cauendum, & auertendum, & extirpandum malum. In Peſte & timor nocet, & opinio officit, & ſuſpicio damnum affert. Ipſum remedium non poteſt ſine multorum malo adhiberi. Vnde apparet quantum malum ſit, cuius remedium pati oportet. Magnitudo periculi facit, vt nimia cura & diligentia, opus ſit: quare omnis iuſtus eſt metus: omnis opinio probabilis: omnis ſuſpicio idonea. Hinc eſt, vt non ſolùm ægroti periclitentur, ſed vt ſani quoque affligantur. De quo enim vel leuiter ſuſpicantur homines, is continuo pro infecto habetur: opinio pro re accipitur, metus ex eo iuſtus oritur: eoque efficitur, vt iniecta manu apprehendatur, & proſcribatur, atque ab hominum conſortio ſegregetur. Nil ei ſanitas integra, nil illibata valetudo prodeſt, non iuſtitia, non ratio iuuat, & eſt iniuria iuſta, & vis innocens, quoniam commune periculum proponitur, idque omnem excuſat iniuriam. Cùmque homines natura ſuſpicioſi & opinioſi ſint, atque hoc genus latiſſimè pateat, facilè ſuſpiciones accipiunt, & opiniones imbibunt; quicunque vel leui rumore aſperguntur, eos omnes cogitatione notant, nec dimittunt, donec in ordinem ægrotorum redigant: ita ſuſpecti cum infectis, ſani cum ægrotis inuoluuntur: & neceſſe eſt innocuis nocere, ne noceant. Idque excuſatur, optaturque, quò meliùs conſulatur ſaluti Reipublicæ: quę vt à truculento iſto, enormique monſtro liberetur, non re modò, ſed ſuſpicione mali carere debet. Tantope-

re

re timendum illud eſt, quo graſſante nihil eſt tutum, nihil illæſum, nihil inuiolatum.

Ecquis huiuſmodi hoſte propoſito (quanquam is dicendo exprimi ſatis nequeat) non videat ſummo quodam Imperatore opus eſſe ad illum debellandum? nec indecoram fore, aut cum eo pugnam, aut ex eo victoriam? niſi fortè quòd monſtrum eſt, illud domare non decuit. Qua ratione & Herculem, & Theſeum Clariſſimos, & Maximos Duces neceſſe eſt vituperare: qui cum monſtris decertarunt; ob idque, præſertim Hercules, celebrantur. Qui ſi duodecim Labores, vt appellant, exantlauit, & totidem monſtra confecit, ſolitaria eſt aggreſſus, non omnia ſimul, aut in vno omnia debellauit. At noſter hic, quem mox commemorabimus, Imperator, in vna Peſtilentia multiplices labores ſubijt, multò plura, quàm duodecim monſtra confecit. Et quidem non illam rudem, aut inexpertam debilemue, aut inermem in Ciuitatem accepit: ſed doctam, expertamque feriendi, erudito per multorum viſcera ad necem ferro, paſtam cadaueribus, ſaginatam ſanguine, à cædibus calentem, & recentem, arrogantem, ac ferocem, euerſa florentiſſima Vrbe, populato frequentiſſimo Regno, non armis modò inſtructam, ſed ſpolijs etiam deuictarum à ſe gentium oneratam. In qua & ſatis eſſet ad fallendum aſtutiæ, ad inuadendum audaciæ, ad nocendum virium. Huic niſi, Te Alexander Optime, Maxime, Deus Ducem oppoſuiſſet, næ, quam illa cladem, vaſtitatemque in alijs Prouincijs, Vrbibuſque fecerat, Romæ quoque feciſſet. Et quidem ſingulari prouidentia, Te, antea Fabium, modò Alexandrum ſacrum Imperatorem inſtituit, in quibus ad eam ſuperandam diuiſæ artes illæ fuerunt, quæ om-

Digitized by Google

ninò erant neceſſariæ: quæque, niſi in Te eſſent coniunctæ, ſatis non eſſent. Summa vis intelligentiæ; & conſilij: & cœtera, quæ mentis ſunt propria; ad cauendum, & auertendum hoſtem. Magnanimitas, fortitudo, excelſitas indolis: & reliquę quæ ad animum magis pertinent: ad eundem domandum, & debellandum. Non eò hæc dico, quod aut Fabio virtus hæc Animi, aut Alexandro vis illa mentis deeſſet: ſed quòd, quà alteruter excelluit, eius præcipuam rationem habere volo: vt appareat excellentes illas virtutum diuerſarum formas in Alexandro noſtro æquè præſtitiſſe, vt in vno vtraque fuerit forma perfecta. Sanè Peſtilentiæ ea ratio in Vrbem inuadendi fuit, vt Fabium aſtu, & prudentia imitari videretur. Nec enim vi, & armis, vti Annibal, palàm aggreſſa eſt Vrbem. Sed fraude ſe, & dolo inſinuauit, ceu domeſtica, & ciuis, quę ex agro in domum rediret, vt inter ſuos habitaret. Ac primùm lenè ac tectè inceſſit, vt Cunctatoris Fabij artibus vſam diceres, compreſſit impetum, continuit iram, detraxit de viribus; vt incautos redderet, & negligentes ciues. Falleret certè, niſi in verum Fabium incidiſſet: cùm præſertim Paſtor Chriſtianus eſſet, & vltra Ducem Vrbis, & Orbis Epiſcopus. Agebas Alexander in editiſsima Vrbis ſpecula excubias vigil, & intentus ad omnem rumorem, ad omnem motum: addebas ingenij acumini ſenſum pietatis, qui plerumque ad præuidenda carorum mala, & cauenda, pluſquàm acies mentis valet. Fecerat cautiorem metus vicini periculi: Timebas omnia tuta: nedum ambigua: vbi enim nimius eſt amor, timor ſenſus acuitur: Ac ille verè ſuos amat, qui ſuis nimiùm timet. Præſagiebas dolum: obſeruaſti ingredientem: ſecta-

tus es veſtigia, deprehendiſti inimicam: & ea deprehendi ſe vidit, & doluit: ſed, vt eſt impudens, non deſtitit procedere. Moderata eſt greſſum: & cunctando Fabium Cunctatorem reſpexit: & ſuis ſe artibus peti vidit. Ergo vterque ad ſolertiam verſus. Nec illa auſa eſt ſe prodere, nec Tu palàm reſiſtere; nam non eſt cuiquam cum Peſte luctandum. Eo tamen euaſiſti Alexander ſuperior, quòd illa ceſsit Tibi inſequenti: nec Tu illam, quòcunq; ſe verteret, ſequi deſtitiſti. Affectauit illa negligentiam, vt curam Tu remitteres. Sed non Te fugit diligentia negligentis, & animum intendiſti. Fabij primùm vſus artibus mentis conſilia explicaſti. Sagacitate fraudem: ſolertia dolum: prouidentia ſimulationem: conſilio inſidias præuertiſti. Expetebat Peſtis celebritatem, optabat frequentiam, vbi magnopere ſolet ſæuire: Abuti voluit Religione Vrbis, in qua quòd ſacratiſsima eſt, & ſacris abundat, magni ſæpe cauſa Pietatis cœtus exiſtunt. Hos impia ſibi deſtinauit, ad ſpargendum venenum. Inſidias ſtruxit ad Templa, Aras obſedit, in vijs celebrioribus ad Puluinaria ſacratiora ducentibus, laqueos tetendit, in locis vbi ſolennia ſplendidiùs, vbi ſupplicationes frequentiùs fiunt. In ſpeculis erat, in prædam intenta: inſidiatrix Pietatis. Putabat Alexandrum, vti egregiè Pium, de Religionibus, & Sacris nihil remiſſurum: imò ob metum imminentis mali additurum: vnde ſibi ampla ad nocendum materies eſſet. Senſit Fabius, quid illa moliretur, ac vti Scientię rerum diuinarum peritus, vidit Animum veram ſedem virtutis, & pietatis eſſe, in mente inſidere ſolidam Religionis formam: quæ quanquam officijs in cultum externum religioſis erumpat, ijſque rurſum haud mediocriter

iu-

Digitized by Google

iuuetur, non tamen in ijs, ſed in interioribus animi actibus Religionis virtus conſiſtit, à quibus omnem exteriora illa ſigna vim, roburque accipiunt. Tùm animaduertit Sacra, & Cœremonias ex integro obiri intra Eccleſias priuatas poſſe: nihilque ijs ſolidę Pietatis detractum iri, ſi celebritatis ille ſplendor decederet. Eum ad ſpeciem magis, & pompam, etſi iuſtam debitamque ſacris, quàm ad veram Religionis formam pertinere. Quare maturo conſilio decreuit, publica illa & ſolennia Sacra tollere, eoq; frequentiam, & celebritatem auferre, ne obtentu pietatis Peſtilentia ad perniciem, exitiumque graſſaretur. Integra itaque, & innoxia ſuis in ſpatijs ſacra manſerunt: Ac ne quis putaret quicquam de Religione præciſo illo publico decore imminutum, augeri preces, & vota priuata iuſſit, & palàm in Eccleſijs, & Sacrarijs recitari & nuncupari, quo illa ſpecies, & ſplendor abundè compenſatus creditur. Hac ratione aditus eſt Peſti ad nocendum præcluſus. Doluit. Ac ne proderetur, compreſſit dolorem: & greſſum ad priuatas domos direxit. Carpere cœpit quoſdam, & vellicare populum: vt corripiendo ſingulos, inficeret vniuerſos. Sed in priuatis quoque domibus inuenit Fabium. Mirata eſt quomodo hic eam Cunctator peruerteret. Sed illa cunctatio plena erat iudicij & prudentiæ: quæ cùm vim in ſe prouidentiæ contineret, omnia multò ante pericula præuiderat, & omnia ad illa auertenda conſilia explicabat: nec aliter Peſti verſutæ, ac lentæ occurri, ne noceret, poſſet. Illud ingenij ſingularis Tui, Alexander, fuit; quòd qua ratione vtitur ad inferendum damnum Peſtis, ea Tu vſus ad auertendum. Illa ſerpendo, & inſinuando ſeſe, diffunditur more contagij, & in omnes partes peruadit,

dit, vt continens quoddam ac perpetuum ſit malum. Tu varijs inſtitutis conuentibus conſiliantium, & conſilijs Ciuitatem impleſti, & Magiſtratibus publicæ ſalutis curatoribus in ſingulis Vrbis regionibus conſtitutis, totam ſalutaribus remedijs confirmaſti. Atq; vt omnia Tibi, & pericula paterent, & damna; vt ne quid eſſet occultum, ne quid inexploratum, (nam niſi cognitis morbis medicinæ adhiberi non poſſunt) grauiſſimum Eminentiſſimorum Patrum Senatum inſtituiſti, adiunctis integerrimis diligentiſsimiſq; Miniſtris, ad quem de omni ratione morborum, ægrotantium, ſuſpicionum, opinionum referretur: in quo & iudicium eſſet ad cognoſcendum, & conſilium ad auertendum malum, & authoritas ad imperandum, & poteſtas ad afferendum remedium. Huius Tu caput eſſe voluiſti, vt toti Corpori Reipublicæ conſuleres. Ex hoc quaſi fonte ſunt in omnes Vrbis regiones medicamentorum facta diuortia, & contagio morborum ſubuenit coniunctio medicaminum: eſtque Peſtis ſuo ingenio repulſa. Etenim quæ continenti graſſari volebat incendio, continenti quodam eſt flumine reſtincta. Hoc item eſt ſumptum ex Fabio: quòd cum Peſtis permiſtionem inter ſe Ciuium, perturbationem ordinum, confuſionem rerum amet, vt ſibi inde occaſionem ſæuiendi vendicet, Tu, per omnes Vrbis regiones, obſeruatis plateis, notatis domibus, numeratis Ciuibus, ſalutare quoddam luſtrum condidiſti, & nihil aut in locis obſcurum, aut in ordinibus peruerſum, aut in perſonis commixtum, confuſumque reliquiſti. Nec iſtud alienum. Qui aut morbo peſtilenti, aut ſuſpecto laborabant, eos à cœterorum communione Ciuium ſeiungere, & in Xenodochia ad id præparata deducere, vt in

ijs

Digitized by Google

ijs dedita opera curarentur: quo fiebat, vt nemo ſanorum ex contactu infectorum ægrotaret, & multi ex ægrotis ſanarentur; ac non niſi ex affectis perirent. Huc item ſpectat hoſpitales domus alias ſalubrioribus in locis conducere, tanquam Aſyla valetudinis, & conualeſcentium è morbis perfugia, in quibus robur vireſque reciperent: & omnem mali opinionem, ſuſpicionemque deponerent. Nec verò minus prudentiæ enituit in ſecernendis è turba Medicorum, & Chirurgorum quibuſdam, qui ægrotorum curam ſuſciperent, ijs aſſiderent, & mederentur, ſemoti à communi vſu frequentiaque Ciuium: ne quid fortè contracti ex curatione mali ad ſanos obtentu muneris deriuarent. Ijdemque de numero, de ſtatu ægrotorum Magiſtratus admonerent. Iam verò in dijudicandis morbis quantam iuſſiſti diligentiam adhiberi! quantam operam in curandis! Prima tentamenta accuratiſsimè inſpici imperabas: ſi ſuſpicione carebant, negligebas: ne fortè ægrotus contriſtaretur, ac cœteri exanimarentur: ſi ſuſpicionem mouebant, in numerum infectorum referri iubebas; perinde eſt enim in hoc genere mali, & re ægrotare, & ſuſpectum eſſe: & vbi prouidendum eſt, ne quid accidat, non oportet expectare vt ſit, cùm ne ſit, omninò debeat prouideri. Hæc ex Fabij diſciplina: præclara quidem, ſed niſi Alexandri virtutes concurrerent, non eſſet in ijs præſidij ad Peſtem propulſandam ſatis. Multæ & illuſtres Alexandro, tùm Imperatorię & militares, tùm Regię & Togatę virtutes fuerunt. Hæ omnes, in Te, Alexander Optime, Maxime, elucent: puriores quidem, ac incorruptiores quàm in illo, qui eas paribus fermè vitijs vel corrupit, vel ęquauit. Illarum, quæ ad Animum ſpectant (nam quæ ad

Corpus, alienę ſunt ab inſtituto) nulla in Te deſideratur. Omnium, quarum vſum Reſpublica ad debellandum huiuſmodi monſtrum poſtulabat, ſumma eſt Magnanimitas, & Magnificentia. Harum Tu pręclarum ſpecimen prębuiſti: Magnanimitatis in excipiendo, & ſuſtinendo hoſte periculoſiſſimo: Magnificentiæ in ſubleuandis communibus afflictæ, & laborantis Reipublicæ miſerijs. Quorum alterum ſine vitæ, altero ſine opum contemptu fieri nequit: quæ duo, quàm difficilè contemnantur, paucißimorum, qui ob id celebrantur, exempla demonſtrant. Et verò multò maiori opus eſt animo ad Peſtem ferendam: quàm ad inuadendum hoſtem: nam & à Peſte certius exitium, quòd auerti non poteſt viribus: & ea patienter magis eſt toleranda, quàm fortiter vincenda. At verò quod ab hoſte timetur exitium, Imperator & armis, & copijs poteſt non depellere à ſe modò, ſed in hoſtem quoque conuertere. Iam verò quantò eſt difficiliùs malum ſubire, & neceſſariò pati, quàm hoſtem, contra quem agere, ac exerere poßis vires, experiri. Vt mihi haud omninò exactè verum videatur dixiſſe; is, à quo eſt illud, *Facere & Pati fortia Romanum eſt.* quaſi vtrumque paris fortitudinis eſſet: niſi ſi, quod priùs poſuit *Facere* gradatim à minori fortitudinis laude, ad maius quoddam præconium proceßit. Ille igitur fortißimus Princeps habeatur oportet, qui ingruenti in Ciuitatem Peſti non cedat: graſſantem non fugiat: idque cùm poßit; ſed eam cum ſuis, qui laturi ſunt, expectet, & patiatur. Ecquis non dicat iſtum, mortem cùm præuideat, ſingulari eam magnanimitate contemnere? Hunc ſibi illud optimi Imperatoris propoſuiſſe paulùm deflexo ſenſu dixeris, *Imperatorem ſtantem mori oportere.*

Hu-

Huius Tu Animi magnitudinis præclarum Orbi exemplum, Alexander Optime, Maxime, præbuiſti, qui Peſte Vrbem inuadente non modò Te loco mouere noluiſti, ſed etiam lucem conſpectumque hominum non vitaſti, nec publico abſtinuiſti, Teque in ipſa de auertenda ſedandaque Peſte conſilia decretaque dediſti, nec ſola hæc Imperatoris virtus vana, & ſpecioſa fuit, ſed vera, & pietatis plena Paſtoris Catholici Ouium amantis, & gregi prouidentis, ac pro eo animam ponere, minimè dubitantis. Eo ſanè amore ac ſtudio ſæpe domo egreſſus palàm conſpiciendum Te Ouibus Tuis dediſti, quin & Vrbem ipſam apertus, hilariſque perluſtraſti, & in periculi partem veniſti, gemitus ægrotantium è propinquo, miſerorumque eiulatus excepiſti. Qui doloris alieni particeps eſſe vult, is & mali eſſe deſiderat. At Tu, quòd malum ſuſcipere, quòd poteſtatis Tuæ id non erat, minùs poteras, ſaltem in Te, quod poteras, dolorem transferebas. Corpus morbo præbere non licebat: ergo Cor dolori dabas, & amorem; & viſcera impendebas. Expandiſſes gremium, effudiſſes ſinum, recepiſſes, ſi omnes eo capi poſſent. Sed anguſtus erat; vnde cogebaris alijs receptis, alios excludere: cùm Tu neminem excluſum velles. Animo igitur complectebare, qui omnium capax erat: nobilius apud Te viuebant expreſſi memoria, impreſſi animo, commendati voluntati. Erat hoc vltra magnanimitatem Imperatoris; ſed ea erat amplitudo indolis Tuæ, vt vna virtute contenta non eſſet: cùm vnam exercebas, plurimas repræſentabas. Vti cùm Sol lucem ad efficiendum diem confert, non poteſt non, cùm omnes explicare radios, tùm vberem beneficæ virtutis copiam effundere. Erat tamen illa charitas intra officium

Digitized by Google

cium Boni Paſtoris: eaque animatu Gratiæ ad omnes miſericordiæ fœtus fœcunda. Hinc mœſti hilarari, afflicti leuari, miſeri iuuari, oppreſſi erigi, deſperati confirmari, ægroti curari, inualidi confirmari. Tot ex vno Fonte beneficiorum riui emanabant. Et quoniam id certè proprium magnanimi eſt, alios quoque magnanimos efficere; nemo fuit è Principibus Viris, qui non mallet in Vrbe morari, quàm illa excedere: nec vi ad eos detinendos opus fuit, quos exemplo continebas: quin & illud omnibus perſuaſiſti, minùs eſſe in Vrbe, quàm fuit, periculi. Hac ratione tria es bona conſecutus, vt & qui manſerunt, ſponte ac honeſtè manerent, quod ad virtutem: & metus minueretur periculi, quod ad prudentiam: & egenis ac miſeris ex ſocietate copioſorum, ac potentium Ciuium creſceret fiducia: quod ad pietatem profecit. Sed quia nos tamen minùs in virtutibus, boniſque, quàm in vitijs maliſque videmus, ex ijs, quæ ſi Tu non tam eſſes magnanimus, damna ſequerentur, quanta ex Tui Animi magnitudine bona ſint conſecuta, conſideremus. Si Tu, Alexander, nolo dicere (quod ne in mentem quidem venire Tibi, Paſtori Optimo, poſſet) Vrbe ceſſiſſes, ſed Te à luce conſpectuque hominum ſubtraxiſſes, Teque cum Tuis domeſticis, & Aulicis domi clauſiſſes, omnes Viri Principes ſe quoque ſegregarent à conſortio cœterorum, & ſecum habitarent, multitudinemque desererent: & paupertati, miſerijſque opportunam relinquerent. Huic quanquam Tu Magiſtratuum, & Curatorum opera prouideri imperaſſes, non ſatis ſubueniri poſſet, Te non vidente, & Nobilitate non iuuante: atque, vt malis corporis occurreres, morbis animi qui medereris? quibus vulgus deſertum ſe neglectum.

Digitized by Google

ctumque exiſtimans prorſus conficeretur. Quæ opinio cùm inſediſſet mentibus, mœror, angor, horror, deſperatio occuparet homines, ex quo & Tabes creſceret, & noua contagio interiùs exedens animos exiſteret. Qui tum fletus, & gemitus apud priuatos, quæ eiulatio & comploratio palàm fieret? quanta vis lachrymarum! quanta querelarum! Augeretur opinione malum: multos metus ipſe, qui carnifex ſæpe animorum eſt, exanimaret. Vaſtitas breui, & ſolitudo in Vrbe eſſet. Ac, vti cùm in acie Imperator paulùm cedit, ſeque colligit metu periculi, cœteri quoque minores Duces ſibi conſulunt, & munia militaria negligenter obeunt, milites conſternantur, & acies tota fluctuat, & facilè inclinatur, & cæditur: ita cedente in communi Ciuitatis malo Principe, Viriſque Primarijs recedentibus, turbat multitudo, & perit. Hæc Tu cùm alta mente volueres, Alexandreo more ſtetiſti in gradu: palàm Te oſtendiſti: omnium animos confirmaſti: & cum Peſte, quo pugnare modò poteras, decertaſti: eamque viciſti. Timuit illa Te certè, & cùm in Vrbe tentaret quoſdam, inficeret alios, nonnullos perimeret, omnibus minaretur, à Palatio Tuo penè abſtinuit: quin & in Vrbe palàm ſæuire auſa non eſt; repſit clam, tacitè ſerpſit, timidè, & verecundè ob reuerentiam Tui: & quæ Neapoli immaniter impudenterque ſæuierat, Romæ parcè, modeſtèque nocuit. Nec iſtud moderationi dandum eſt monſtri; Magnanimitati aſſignandum eſt Tuæ; qua Magno illi Alexandro longè præſtitiſti, iam Orbi vniuerſo pari, teſte Philippo. Docuiſti non Bucephalum indomitum, ſed peſtilens monſtrum indomabile, vel pati frenum, vel mordere. Iam Te non modò Italia, ſed ne Orbis quidem capiebat:

Digitized by Google

bat: vidit in Te auguſtius quiddam, quàm pro humano habitu iſtud monſtrum. Deueneratum eſt Maieſtatem ſpirantem Numen, cuius in Te effigiem ſpeciemque agnouit: nec illa ſanè aut concederet, aut ſuccumberet alteri, quæ Cœlum ipſum aggreditur, & corrumpit: & Siderum ſe aſpectibus miſcet, afflatibuſque inuoluit, & ibi natales habere gloriatur. Vt inde nos quoque doceamur, Romanum Te Pontificem Alexandrum eſſe, qui non anguſtis huius terreſtris Orbis terminis circumſcriberis, ſed regionum quoque cœleſtium infinitis propè ſpatijs ſuperatis ad Superos vſq; pertingis.

Venio ad Magnificentiam: quæ virtus cùm Principum ſit, ea magnopere Alexander excelluit. Hac Tu etiam maior illo Magno præſtitiſti; quòd ille ex vſurpatis bello, occupatis vi, atq; adeò alienis, & quæ vix retinere poterat, Tu ex domeſticis bonis, ex iuſtis reditibus, ac Tui vſus liberaliter donaſti. Accedit quod Alexander magnificentiæ vim ſuam omnem, ad oſtentationem inanem, & vanæ ſpeciem gloriæ conferebat: Tu eam ad bonitatem & beneficentiam contuliſti. Itaque ille vacuo ſe iactauit nomine: Tu rem virtutis plenam præſtitiſti. Magnificentia, cùm in Animo præcipuè, tùm etiam in donis conſiſtit. Vt ille ſit verè perfectéque magnificus, qui & magno Animo, & magna donat: eoque hæc virtus à liberalitate diſcernitur, ac eſt propria Principum; cùm Liberalis, qui multa, etſi parua priuatus donat, appelletur, Magnificus, non niſi ea quoq; ſint magna, appellari queat. Et quidem vtroque Alexander excelluit: qui Animo celſo & generoſo, & plurima donauit, & maxima. Verùm ne hac quidem illi Tu parte conceſſiſti. Et quoniam de Animo ex datis facienda eſt conie-

Digitized by Google

iectura: quæ & quanta à Te Alexander cùm antè, tùm modò ſunt dona profecta? vt biennio hoc Tuo plura vnus, quàm multi alij Principes integris ſeculis dederint. Tot ſe occaſiones impendij, tamque graues Tibi obtulerunt: vt viſæ ſint conſpiraſſe ad faciendum periculum Magnificentiæ Tuæ: cùm præſertim Tu eo tempore Pontificatum inieris, quo magnæ erant rei familiaris anguſtiæ, difficilis, caraque annona. In hunc ſtatum rerum cùm incidiſſet initium Pontificatus Tui, præter eos qui ingentes eſſe ſolent in ſolennijs illis ſumptus, ac in apparanda, ornandaque domo, inſtituenda familia, expediendis Legatis domeſticis, externis recipiendis neceſſarias expenſas, cùm multæ domi, foriſq; componendę res eſſent, opus fuit extraordinarię pecuniæ vi maxima: vix eam collegeras & impenderas, cùm Regina Sueciæ Potentiſſima eiurata hæreſi Romam veniens à Te excipienda fuit, ea dignitate, quę & Te Alexandrum, & illam Chriſtinam Alexandram deceret. Ea vt ingreſſa eſt ditionis Tuæ fines, quàm ſit accepta magnificè: quàm lautè & ſplendidè Romæ habita: quàm dimiſſa munificè? cùm ego in meo antè Panegyrico, tùm alij complures ſcripſerunt. Viſa ſunt Te noſſe, ac expectaſſe tempora, vt occaſiones impendij in Tuum tempus conferrent. Bella, in Heluetia grauia, in Polonia grauiſſima, in quorum Tu Catholicis ſubſidia bonas numeratæ pecunię ſummas ſępe miſiſti. A Turca in Venetam ditionem impreſſiones multę, & validę, quibus ea Gens obnoxia eſt, cui Tu (quę illius eſt generoſitas) non petenti, de Tuo ſponte liberaliter contuliſti. Melitenſium, quibus Tecum vetus erat neceſſitudo, expeditiones, quas Te Auſpice, Patronoque frequentiùs ſuſceperunt, copijs

& opi-

& opibus iuuiſti. Aquiſgranenſibus quorum Vrbs fortuito igni ſuccenſa conflagrauerat ſuſcepto pietatis, & magnificentię conſilio magnam vim auri largitus es ad Ciuitatem inſtaurandam, quæ & antiquum Caroli Magni domicilium, & recens Alexandri Maximi hoſpitium fuerat. Raguſæos Turcarum iniurijs, incurſionibuſque obnoxios, & in anguſtias rei numariæ magnas redactos, miſſo idoneo pecuniarum ſubſidio ſubleuaſti. Certabas cum inopia magnificè donando: cedebat palàm neceſsitas publica magnificentiæ Tuæ priuatæ, quam tamen ſubueniendo cunctis publicam feceras. Hoc item ad magnificentiam pertinet: vtilitates dimittere. Huius Tu ſpecimen nobile feciſti paulò antè quàm Peſtis ingrueret ſacris, multis, magniſq; reditibus, qui ad Te veniunt, Sereniſsimæ Venetæ Reipublicæ bellum Turcis inferenti conceſsis, quorum illa ſubſidio ingentem illam, & ornatam apparauit Claſſem, qua Thraciam numero, copijs, & opibus florentiſsimam ad Helleſponti fauces profligàuit, ac euertit. Nunc verò irritato ignominia, & clade accepta Turca, & ſtragem ruinamque eidem Reip. minante, vltra vires, ſpemque magnificus centum aureorum millia, & mille pedites auxilio terra miſiſti: & ſacras Eccleſię Triremes, noua imperata pecunia ornari iuſsiſti, eaſque Priori Bicchio auxilio in Cretam deſtinaſti. His Te nec Alexandro datis minorem, & maiorem animo præſtitiſti. Munificus certè fuit ille Macedo: ſed in magna copia, cùm opes oneri erant: ſed ex alienis donando, quę cùm occupaſſet, retinere, & portare ſecum non poterat. Quid mirum ſi Ciuitates donauit, qui Regna occuparat? ſi opes prodigeret, qui theſauros exhauſerat? Deinde hæc vel in Amicos, ob gratiam,

tiam, vel in milites ob merita, vel in doctos ob ſpem laudis, vel in obnoxios ob fructus ex datis colligendos conferebat. At Tu Senenſis, hoc ſæuientis Peſtilentiæ (nam hoc mihi propoſitum eſt) tempore, quæ donaſti, nulla alia ratione motus donaſti, niſi Chriſtianæ pietatis, & ſanctiſſimæ charitatis: atque adeò in communem gregis Tui ſalutem contuliſti. Nullo Tu hominum delectu vſus, nullo aut conditionis, aut muneris reſpectu: nulla vel ſpe lucri, vel cupiditate gloriæ. Omnia in publicas neceſſitates impendiſti. Miſericordia, donandi cauſa fuit: quæ miſeros leuat, & inopes ſuſtentat. Vbi miſeria maior, ibi largior effuſio: vbi neceſſitas præſentior, ibi donatio largior. Illud proprium magnificentiſſimi Animi Tui, non expectare preces inopum, pręuenire gemitus miſerorum, in miſerias inquirere, dolores indagare, inueſtigare ęgrotationes, leuia tentamenta præſentire, & remedijs morbos, & neceſſitates anteuertere. Graue eſt aurum, & tractando fit grauius, tardiùſq; è manibus dimittitur. Tu leue illud, veloxque reddidiſti: vidimus illud volitare, & manus ipſas geſtantium impellere, vt expeditiùs iret. Pennatum diceres; & in tanta celeritate, nunquam reſpirauit. In perpetuo fuit curſu: & quod Matheſis hactenus non potuit excogitare, vel in fluido elemento, doctrina, pietas Tua excogitauit in auro: continuo ferri motu, nec conſiſtere. Ideò fortè non defecit, quod à Te ipſo ciebatur. Effinxerat ſe ad ſimilitudinem ingenij Tui, cuius celeres & acres ſunt motus: & quò mens Tua perſpicax cogitatione pertingeret, eò & aurum perueniebat. Tum primùm fœcunda viſa eſt pecunia vterum ferre, & numos parere: & ſterilitatem auaris obiectare, apud quos eſt infœcunda. Erant huius fœtu-

Digitized by Google

turæ, plurimi & illuſtres partus. Integra noſocomia, xenodochia, valetudinaria, hoſpitales domus publicæ, ęgrotis, & languentibus conualeſcentibuſque ex morbis deſtinatę: & his multò plures priuatæ ob ſuſpicionem clauſæ, quarum Tu habitatoribus ſubueniebas. Eratque munificentia tanta, vt ipſi diuites, & copioſi, mallent domo exire, & in publica ſe xenodochia conferre, quàm ſuis expenſis, ſumptibuſq; curari. Certè nemo domi ſuæ curari cœpit, & inde ad noſocomia tranſlatus, non eſt ingenuè confeſſus, multò ſe accuratiùs, & diligentiùs, & copioſiùs habitum fuiſſe. Compertum item eſt multò plures in priuatis domibus vulgaribus, & mitibus morbis, quàm in noſocomijs hoc extraordinario, & immani extinctos. Adeò, vt ſi domos cum xenodochijs conferres, mutatam ſortem eſſe iudicares, ac in ijs infirmos detineri, in his ſanos degere. Quique languentes intrare in noſocomium videret, & paulò poſt eoſdem ſanatos in valetudinaria ſe conferre, crederet infirmitatem in foris, & in plateis, ſanitatem in xenodochijs habitare: cùm præſertim ſolitarij ſilentio ingrederentur, congregati cum cantu turmatim egrederentur, perinde ac de Peſtilentia triumpharent. Ac vereor, ne ineptum ſit, & ea recenſere, in quibus Tu, Alexander, pecunias impendiſti, vt ex ijs appareat, quantis ſumptibus opus eſſet ad illa curanda, & expedienda: & putidum reuocare ad calculos ſummas, & iuſtam rationem expenſarum inire, cùm hoc ſit indignum, & Alexandrea Maieſtate, & Panegyricæ Orationis granditate. Nec Tu quod magnitudine Animi vis obruere, ex eo gloriam aucupari vis. Hoc tantùm dico: miraculo vulgò datum eſſe, Te in his anguſtijs rerum, deficiente publico cenſu,

cre-

Digitized by Google

creſcente annona, imminutis, ac maximam partem præciſis vectigalibus, tot pecunijs abundaſſe. Auxit opinionem miraculi, quòd de veteribus tributis non parùm detraxiſti, eoque populum onere leuaſti, & annonam viliorem feciſti. Inquirebant homines curioſè, vnde tanta numorum affluentia? In mentem veniebat Midæ, qui quæcunque tangeret, in aurum vertebat. At Tu Mida maior videbare, quòd ille tactu, Tu iuſſu tantam vim auri efficiebas: & hac re quoque vltra fabulam Magnificentia Tua efferebatur: cùm præſertim ille in pœnam Auaritiæ, nullius commodo ſterile aurum pareret: Tu ſingulari virtutis laude aurum fertile in communem vtilitatem impenderes. Puduit Peſtem ſui cùm ſe deludi vidit, auro per totam Vrbem ſerpente, & contagij ſe more quoquouerſus effundente: & quidem multò quàm Peſtis latiùs, cùm hæc ad ægrotos tantùm accederet; illud & ad ægrotos etiam, ſanoſque perueniret. Aurea Romæ in ferreo tempore tempeſtas extitit, Te Pontifice Alexandro. Nec minùs Peſtis hac Tua liberalitate deterrita, quàm magnanimitate fuit: nam magna ei pars virium deceſſit, Paupertate, quæ indiuidua comes eſt, prorſus amota. Itaque in abundantia rerum, & vilitate annonæ exanimata eſt, & magnificentiæ Tuæ mole oppreſſa. Deficere ſe ſenſit, & ſepeliri, & quod diù ſupereſſe poſſe deſperauit, tentauit honeſtè perire. Et hoc dignum erat ea, quæ cum Alexandro pugnauerat. Vna Peſtis eſt, quæ perit à vita. Iam hæc in Vrbe Tuo, Alexander, beneficio dominari cœperat. Tuo cedendum imperio erat. Nec Tu cum eo malo, niſi ex decoro contendebas: Ingerebas vitam, & cedentem vrgebas. Per Te viuebant homines, per quos illa moriebatur:

Digitized by Google

tur: qua ratione author Alexander Tu vitę, non illator mortis eras. Senſit illa, & timuit magis artem, quàm mortem. Facilè erat diſsimulare fugam, obtentu mortalitatis noſtrę: cui cùm interire neceſſe ſit, occupauit ſuſpicione, vt quæ deinceps mortes exiſterent, ſibi, non mortalitati aſsignarentur. Nec difficilè id fuit creditu, quòd ea fides ad communem ſalutem, cui nunquam ſatis prouidetur, faciebat. Itaque perſuaſit, quòd erat è Republ. credi. Subornauit Peſtis naturam, vt ſineret naturalem mortem nomine infamare contagij; vt qui fato morerentur ſuo, viderentur aliena contagione extingui. Hoc quaſi munus à natura, pro liberatione, ceu mercedem, exegit. Nec Te, Alexander, fallebat, quid illa ageret, ſed conniuebas aſtutiæ, dum ſuſpicioni locus, quæ apud vulgus inualuerat, mali erat. Nec iam cum malo Tibi, ſed cum opinione & metu contentio. Eò Te minùs Alexandro digna, quòd non poſſes, niſi cum metu certare cum metu: nam hic hoſtis timendo vincitur. Itaque pro alijs timere cœpiſti. Sed hoc quoque glorioſum, non Tibi, ſed alijs timuiſſe. Quin & ipſum viciſti timorem, cùm eum in prudentiam vertiſti. Pugnabas acutus Imperator, non acie gladij, ſed ingenij. Diuiſiſti timorem, & ſecto in partes, quod metus erat, extinxiſti, quod ſolicitudinis, retinuiſti. Commouebare ad pietatem ſenſu, alieni timoris; non turbabare, motu iniectæ formidinis. Itaque prouidentia ſingulari, vti anteà contagio mali, ita poſteà ſuſpicioni obuiam ijſti. Ceſsit tandem vtraque: & corpora, & animos liberauit. Manſit ſola, quæ natura ineſt mortalitas: ijs tantùm obnoxia pœnis, quibus innaſcitur. Agnouit Vrbs beneficium Tuum: profuit liberari, vt per-

Digitized by Google

ſectiùs noſſet: nam illa formido nebulas quaſdam menti offuderat; nec totam lucem beneficij ad omnes partes animi permeare ſinebat. Vidit extra periculum quanto in periculo futura fuiſſet, niſi Te, Alexander, nacta eſſet Vrbis & Cuſtodem, & Liberatorem: gratulata eſt ſibi, non modò remedium, ſed etiam malum; quòd in Tua tempora incidiſſet. Quorum illud inſigne felicitatis argumentum eſt, quòd, Te Pontifice, non iam bona, ſed mala item, quæ patimur, in beneficijs numeremus. Norunt Deum in ſupplicio inferendo iuſtum, in aſſignando tempore miſericordem. Pati nos feliciter voluit, cùm Tu imperares: qui poſſes Peſtem prouidè auertere, prudenter comprimere, fortiter expugnare. Didicit minùs timere Populus: & Peſtem puduit, quòd minùs timeretur. Perpetua ſalus eſſet Reipub. ſi Tibi vita perpetua eſſet. Verùm quando mortalem Te natura, & hominem genuit, documenta in excogitatis remedijs reliquiſti, quibus Peſtis in poſterum & euitetur, & compeſcatur. Quoties enim de nobis cogitabas, toties cum prouidentia loqui videbaris: tam erant apta ad ſalutem remedia, vt Tibi à Supremo illo Numine dictata crederentur. Hęc à Te accepta, & ad publicam ſalutem expoſita, & ſanitatem ægrotis, & eruditionem ſanis afferebant; ita non præſentia tantùm medendo depellebas mala, ſed futura etiam, imò & quæ eſſe poſſent, erudiendo auertebas. Solicitudo Tua totius fuit ſalus, & doctrina Ciuitatis. Mens Tua vitæ officina erat: intra illam vitæ rationes fabricatæ: quæ in communem ſalutem Reipub. eruperunt. Erant Tibi in numerato viæ, quæ ad incolumitatem ducerent, & cùm labyrinthum Peſtis mortium implicabat, Tu filo vitali per cogitationes

Digitized by Google

deducto vias euadendi explicabas. Quin & his Peſtem ita concluſiſti, vt penè comprehenderis; ſua ſe arte captam vidit, & niſi maturaſſet abitum, exitum non inueniſſet. Ideò ſine ſtrage, ſine gemitu populi, citrà tumultum, ſenſim dilapſa eſt, ne ſi ſtrepitum ederet, caperetur. Magis ſibi timuit illa ab afflatu vitali Tuo, quàm alij à lethifero illius halitu timuerunt. Et nos comperimus, eſſe aliquid in Te, Alexander Optime, quod plùs ad viuendum conduceret, quàm aura iſta reciprocante anhelitu ducta, memoriam ſcilicet de nobis Tuam. Huiuſmodi recordatio nobis vel aliud agentibus, vel dormientibus ſaluti fuit. Vide quantùm conferas Vrbi, & quantùm poſsis conferre Orbi, cuius vel recordari, perinde eſt, ac ſeruare. Oremus Te, & obſecremus oportet, ne obliuiſcaris Vrbis, neue Orbis, nam cuius recordatio publica ſalus eſt, obliuio, erit Vrbis, & Orbis occaſus.

D I X I.